



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi
Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis
Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio
Decalogi Duabus distincta partibus**

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes,
mira brevitæte, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem
præceptorum secundæ tabulæ

Tamburini, Tommaso

Monachii, Anno M.DC.LIX.

Furans modica à multis, paragraph. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39995

§. II.

Furans modica à multis.

1. **V**enditor vini à singulis eumentibus parum furatus est, ita ut singulis eumentibus parvum fecerit nocumentum, ipse verò notabilem quantitatem rei alienæ habeat, mortaliterne cum obligatione restitutionis peccavit is, similisve? Respondeo affirmativè; ratio, præter alias, est, quia licet detrimentum leve peculiaribus eumentibus fecerit, facit tamen grave communitati & Reipublicæ. Explico; singuli hi domini, à quibus leve quid surripitur, graviter & rationabiliter inviti sunt, propter periculum, quod imminet, ne multi ditari velint hoc modo furandi levia à singulis. Id quod grave esse malum Reipublicæ, per se patet; quæ autem quantitas in hoc modo furandi, & quanto major debeat esse, ut gravis censeatur, clarè colligitur ex dictis §. 1. à num. 4.

2. Quid si eiusmodi detrimentum fecerit personis vagis? Respondeo, easdem personas vagas, & damnificatas ab uno eodemque, uniri moraliter censeri, & facere Communitatem damnificatam; ni enim ita, vel simili modo dixeris, aditum aperis ditescendi, sine scrupulo peccati mortalis, modica surripiendo de bonis multorum, quod certè nimis est dissonum rationi, & nimis cuicumque Communitati perniciosum. Restitutio autem in hoc casu illis peculiaribus personis est facienda, si sciantur, &c. non vero pauper-

ribus, vel ærario publico Ciuitatis, quia hi damnificati sunt in proprijs bonis, non vero publicum ærarium.

3. 4. Bonacina, citans Lessium, excusat à mortali pauperes, qui messis tempore accumulunt sibi quantitatem notabilem tritici, auferendo modicum quid à singulis; nam Domini non censetur inviti, supposita illorum paupertate.

a Bonac. de rest. in partic. d. 2. q. 8. p. 1. n. 1.

4. In publicis quibusdam granarijs (*Carricaturis* à Siculis appellantur) aliqui Religiosi Eleemosynam ita petunt ab afferentibus illuc triticum, ut si ij recusent, vi modicam mensuram à singulis accipiant: peccantne hi mortaliter? Respondeo, cum hi sic se gerant violenter, & ex alio capite, supponamus, adesse animum prosequendi in eiusmodi violenta exactione, peccare mortaliter non ambigo, quia si Domini tam expresse repugnant, ad præsumptum, seu tacitum consensum recurrere non possumus.

At aliqui ex his Religiosis prætendunt, obtinuisse à Principe privilegium id faciendi. Respondeo: at Principes non sunt Domini bonorum subditorum. Inde puto, privilegium esse, ut possint petere, non verò, ut possint violenter exigere.

§. III.

Multi furantes modica ab eodem.

1. **C**ætns frequens amicorum, societas multorum militum, similesue ingrediuntur vineam

v. g.